

Evangelium introduxit inter Gentiles, quam quemvis alium qui Evangelium in hunc aut illum locum peculiarem introduxit. Sic orta videtur sententia ista de *Primatu Petri*. Apud Judæo-Christianos, ob peculiare discrimen ministerii ejus inter Circumcisionem, apud Gentili-Christianos, ob introductionem suam Evangelii inter Gentiles.

Ἐγὼ δὲ Χριστός.

Si qui forent inter Corinthios, qui baptismo *Johannis* solum baptizati essent, prout erant inter *Ephesios*, *Act.* 19, 4. non mirum si dicerent illi, Ἐγὼ δὲ Χριστός, *Ego sum Messias*, non noscentes adhuc *Jesum Nazarenum*, illum esse; At detur, omnes melius edoctos à *Paulo* aut *Apollo*, cum tamen adhuc ad Judæismum plurimi inclinarent, suspicari licet, eos dicere, *Ego sum Christi*, vel *Messie*, eo sensu, quo olim eruditi sumus de *Messia*, unumquemque scilicet sub eo unico duce conscribendum & subjiciendum, non sub aliquo ab eo deputato, vel vices gerente.

VERS. 14. Κρίσπου.

Nomen *Crispus* etiam Talmudicis est in usu.

*Hieros. Jevamoth.* fol. 2. 3. Dicit R. Aibular: נגרי קריספי *Nigri Crispi*.

*Ibid.* fol. 12. 2. קריספי אמר ר' Dicit R. *Crispus*.

Γάϊον.

Si *Gajus*, vel *Cajus* iste, ad quem scripta est Epistola tertia *Johannis*, fuerit *Gajus Corinthiacus*, quod maximè probabile, collato *Rom.* XVI, 23. cum commate septimo istius epistolæ, tum videtur *Johannes* epistolam suam primam scripsisse ad *Corinthios*. *Scripsi*, inquit, *ecclesie*. Cuinam? *Ecclesie* certè alicui particulari, & ubi residit ipse *Gajus*. Quænam autem epistola ista, quam scripsit? Primam inter suas, quis non æquius dixerit, quam periisse istam quam scripsit? Et hæc si vera, *Diotrephen* requiras in *ecclesia Corinthiaca*, primipilarem in schismate. Sed hæc sub ferulâ.

VERS.